



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 23. Extrema Rupellensium obsessorum Calamitas, ac pertinacia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

latis anchoris retrocederet, ac demum Sæc. XVII.  
 in Angliam reverteretur. Unde Secta- A. C. 1628.  
 rii consilio, annona, ac alieno subsidio  
 destituti in unica animorum pertinacia,  
 & munitionum robore salutis suæ spem  
 reponere maluerunt, quam ad debi-  
 tum Regis sui obsequium reverti, ejus-  
 que clementiam implorare.

## §. XXIII.

*Extrema Rupellensium obsessorum ca-  
lamitas ac pertinacia.*

Jam integer ab urbe obsessa annus vol- Gramond.  
 vebatur, intra quem nonnisi unica Hist Gall.  
 comœtu onusta scapha incolumis Ru- lib. 18.  
 pellam advehi potuit, jejunum pror- Monet. l. c.  
 fus famelicæ multitudinis levamen: Calmet Hist.  
 unde in immensum fames invaluerat, Univ. l. 151.  
 cibis in victum aut nullis, aut ipsa pag. 315.  
 asservandi sollicitudine atque mora cor-  
 ruptis. Supererat modica frumenti  
 portio Nobilium usui reservata, non tam  
 ad levandam quam irritandam ventris a-  
 viditatem utilis: jamque tanta vescarum  
 rerum egestas non modo Oppidanorum  
 præcipuos, sed & ipsam Rohanæi Ma-  
 trem, Sororemque inceserat, ut, ne  
 rabies edendi vitalia depasceret, qua-  
 tuor equos, quorum ipsis erat ad  
 rhedam usus, sale & pipere respersos  
 carni substituerent: demum deficienti-

Sæc. XVII. bus in urbe hisce cupediis, cives ad  
A.C. 1628. canes, feles, & mures caro venales  
 & absurda quæque vellenda converte-  
 bantur, hæcque avida manu discerpta  
 sine concisionis aut coactionis cura  
 præ impatientia calentis stomachi sa-  
 turitatem festinantis, ciborum quam-  
 dam in similitudinem redigebant; pro-  
 cessu temporis extremam famem ex-  
 ficcatis animalium coriis explere fun-  
 ctus vitæ amor suaserat: calceamenta  
 crepidæ, ocreæ, coria longo usu de-  
 trita, ipsæ solæ in lebetes missæ, lar-  
 giusque affusa aqua maceratæ, ha-  
 demum pene morientium delitiæ, ex  
 illorum dapes erant apparatus Persicæ  
 potiores: Effodiebantur pugionibus  
 manuumque unguiculis, sylvestres ra-  
 dices & herbæ, gulæque collecta cu-  
 piditas in tam cruda dape ultimum præ-  
 teritæ famis solatium ac condimentum  
 inveniebat, potissimi etiam inter gran-  
 dinantes obsidentium globos, atque evi-  
 dentissima vitæ vix non fugientis peri-  
 cula ostreas aliaque per arenas serpen-  
 tia animantia, quæ littorum in vadis  
 recedens maris æstus destituerat, ce-  
 ratim collegerant, rara tunc tamen,  
 neque tantæ famelicorum turbæ sus-  
 sectura, neque scrutantium solertia  
 semper opportuna: Hic toto trimestri  
 obsessis cibus, hæc Rupellæ calamitas  
 inde

indeque nata stomachorum vitia, tabes Sæc. XVII.  
 corporum, corruptelaque viscerum, una A. C. 1628.  
 cum febribus, quibus jamjam plus-  
 quam tredecim civium militumque mil-  
 lia absumpta fuere, nedum tamen fra-  
 cta rebellium ferocitate, qua ipsimet  
 pulverem pyrium distraxerant, belli-  
 que tormenta, ne Regias in manus  
 venirent, impactis clavis obstruxerunt,  
 cum tamen facillime, nisi legitimum  
 Regem suum debellandi furor præva-  
 luisset, suam suorumque vitam, facul-  
 tates, & ærumnas implorata clemen-  
 tia, honestaque deditioe redimere  
 potuissent. Non deerant quidem, qui  
 vel calamitatibus expugnati vel per-  
 duellionem pertæsi impensius extremo  
 malo remedium opponi efflagitarent.  
 Attamen ad horum lamenta surdæ e-  
 rant obstinatorum aures, quinimo ob-  
 servatum est, quod in unico mense fre-  
 quentiores, quam per longum antea  
 tempus, nuptiæ fuerint celebratæ, eo  
 sine, ut urbe expugnata Calvinistarum  
 Filix Maritis Religione Catholicis nu-  
 bere prohiberentur. Adeo insanum e-  
 rat Hugonotiarum odium in Catholi-  
 cos, regiosque.